

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Doctrinam De Divinitate Christi Occasione Hæreseos
Arianæ Magis Elaboratam Sistit Et ... Georgio Chr.
Ibbeken, Oldenbvirgensi, SS. Theol. Cvltori Perindvstrio,
Nomine Societatis ...**

Fabricius, Johann

Lipsiae, [1735?]


VD18 13052918

urn:nbn:de:gbv:45:1-19796

DOCTRINAM
DE
DIVINITATE CHRISTI
OCCASIONE
HÆRESEOS ARIANÆ MAGIS ELABORATAM
SISTIT,
ET
VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,
DOMINO
GEORGIO CHRISTIANO
IBBEKEN,
OLDENBURGENSI,
SS. THEOL. CVLTORI PERINDVSTRIO,
NOMINE
SOCIETATIS
ΦΙΛΟΜΑΘΟΥΝΤΩΝ,
QVÆ LIPSIAE SVB PRÆSIDIO
VIRI PLVRIMVM REVERENDI ATQVE AMPLISSIMI,
DOMINI M. CHRISTIANI WEISII,
SS. THEOL. BACCAL. ET AD DIV. THOM. ECCLESIASTIS
BENE MERITISSIMI,
FLORET,
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
GRATVLATVR
JO. FABRICIVS,
OLDENB.

LIPSIAE,
EXCVDEBAT BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPFIVS.





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan



CONSPECTUS.

- | | |
|--|--|
| <p>§. I. Institutum.
II. Sententiæ Expositio.
III. Duplex hic extremum cavendum.
IV. Concedi in Patribus incommode dicta debent.
V. Testes hujus rei veteres ac recentiores.
VI. Indicantur, qui ejusmodi dicta collegerunt.
VII. Recensentur varia ejusmodi incaute dicta Justinii Martyris.
VIII. Irenæi.
IX. Tertulliani.
X. Theophili Antiocheni.
XI. Clementis Alexandrini.
XII. Athenagoræ.
XIII. Arnobii.
XIV. Novatiani.
XV. Lactantii.
XVI. Origenis.
XVII. Dionysii Alexandrini.</p> | <p>§. XVIII. Indicantur, qui Patres ideo hæreseos culpant.
XIX. Refutantur.
XX. Nec vero & Patrum Antenicænorum doctrina de Trinitate est exaggeranda.
XXI. Occasione hæreseos Arianae argumentum hoc elaboratum ostenditur ex actis concilii Nicæni.
XXII. Ex Patribus nonnullis, qui post Synodum Nicenam vixerunt.
XXIII. Non sunt Patres Nicæni novæ fidei conditores appellandi.
XXIV. Multo minus depravatores antiquæ doctrinæ.
XXV. Neque tamen a Concilio Nicæno omnis imperfectio abest, licet ejus auctoritas ipse maneat inconcussa.</p> |
|--|--|



§. I.

apud illud fidei Christianæ, quod Pater, Filius & Spiritus S. sint summus Deus, & summum est, & maximum ejus fundamentum; nec tamen ita semper creditum atque propositum, ut non potuerit ampliori luci reddi. Antiquissimi ævi semper fuit magna

simplicitas, rebus ejusmodi initium modo ducentibus. Satis sibi fecisse quilibet existimavit si capita rerum crederet; si ita proferret res divinas, uti ipsis Scripturæ verbis poterant describi. Testatur illud antiquissimus quisque Scriptor Ecclesiasticus, uti v. c. de Clemente Romano GROTIUS judicat Epistola 347. quod multa dogmata, postea subtilius explicata, ἀφελέσθων, simplicius tractet; testantur brevissima illa symbola in conciliis facta, cum quæ nostro tempore cusa sunt, multo sint prolixiora, & satis tamen coacta in compendium. Et quæcunque sit opera, quam primi isti Ecclesiæ Patres rebus Theologicis explicandis, & rationibus earum fundamentisque clarius ostendendis impenderunt, ea paucis numeris absolvitur. Successu tamen temporis cum numerosiores prodirent adversariorum strophæ, multum operis profligandis iisdem concessum; sicque cum disertius exponerentur doctrinæ capita, passim eadem adaucta sunt, & clarius distinctiusque proposita. Factum illud esse occasione hæreseos Arianae, paucis jam ostendere juvat. Hac enim ansam præbente, doctrinam de Divinitate Christi vindicatam esse a variis eorum, qui in adversa ibant, corruptelis, omnes norunt.

§. II.

Primum inter œcumenica Concilia, Nicæa seculo quarto celebratum, damnavit hancce Arii hæresin. Varias ea jam ante turbas pepererat, quibus obviam eundo Patres illius temporis vestigia reppererunt, quæ ipsis ad doctrinæ ulteriorem explicationem viam parabant. In ipso vero symbolo Nicæa edito talia in doctrina adversus Arianos constituta sunt, quæ eorum sententiam ἀρνησιθεόν convellebant, ante vero motam hanc controversiam ita exposita nondum erant. Certe Doctores fere omnes Antenicani strenui doctrinæ Christianæ propugnatores, & sanctitatis laude maxime

me fuerunt conspicui, ira vero sapissime locuti, ut Filio ac Spiritui S. divinitatem summam denegare videantur. Nul- lum quidem magis illustre exemplum esse, quam incon- mode Patres extra certamina locuti sint, quam in loco de Lib. arbit putat CHEMNITIVS, Locis Theol. P. I. Verum istis, ea quæ hic reperiuntur in loco de Trinitate, æquipa- rare quin & in nonnullis præferre, nullus dubito.

§. III.

Quo vero in argumento de eorum scriptis dictisque iudicando, ab utroque nobis extremo erit cavendum: altero eorum qui Patrum quasi sunt Panegyristæ, & divinum fere & siquid cogitari illustrius potest in omni doctrina sacra ac pro- fana ipsis tribuunt. De Patribus nimis præclare sensisse jam HIERONYMVS observatur, cum in Epistola ad Magnum, quæ est inter ejus Epistolas octogesima tertia, in pluribus Vete- ris Ecclesiæ doctoribus, inquit, nescias quid primum admi- mirari debeas, eruditionem seculi aut scientiam scriptura- rum. Inter recentiores CALIXTVS multijuga eruditione sub- nixos Patres varia præstitisse affirmavit. Multi sunt hunc secuti alii antiquitatis encomiastæ, patrum v. priorum se- culorum consensum ceu regulam fidei & interpretationis Scripturæ adjungentes. GEORGIVS quoque BVLLVS, Theo- logus Anglus, huc videtur referendus. Licet enim in defen- sione sua Fidei Nicænæ (inter ejus Opera, Lond. 1703. fol. cura J. E. GRABII edita) multa alia præclare præstiterit; sub- inde tamen in operis tractatione ita versatur, ut patrum vel non videat menda, vel quovis ea tegere modo, & unde- quaque accersitis rationibus omnem eorum doctrinam Ni- cænæ consentaneam facere curet. Verum & aperte Patri- bus nimium tribuit Sect. I. cap. I. § 9. p. 9. quando *religioni sibi esse dicit, contra Patrum torrentem scripturam sacram in- terpretari, nisi quando argumentis cogatur evidentissimis, quod*



nunquam eventurum credit. Imo *multis probabilitatum & veri similibus rationum* (noluit dicere certarum & evidentium) *momentis præponderare ipsi debet consentiens, primævæ præsertim, antiquitatis iudicium.* Notavit hæc verba quoque suo iudicio R. SIMON. Hist. crit. N. Tti. c. 19. p. 268. Inprimis vero ad hanc sententiam Romanenses procurrare constat, apud quos auctoritas Patrum utramque facit paginam, licet inter eos certo non constare, quantum iis tributum sit, eruditi observarint. Deinde vero quoque apud Episcopales sive Hierarchicos in Anglia maxima Patrum est auctoritas: quod uti ex variis Anglorum scriptis iisque præsertim quæ DALLÆO opposita sunt, ita vel ex HENRICI WOTTONI præfatione de usu Patrum, quam Clementis Romani Epistolis a se Cantabrig 1718. editis, præmisit, cognosci potest: De illis nil moneo quos in Calixtinismi suspensionem venisse constat. Altero vero eorum, qui omnem illis denegant doctrinam, & imminutam eorum quovis modo auctoritatem cupiunt & protritam. In alterum hoc prolapsus extremum videtur Jo. CLERICVS, qui in Epistolis Criticis & Ecclesiasticis (quæ Artis ejus Criticæ volumen tertium conficiunt) contra omnem Patrum auctoritatem disputat. Certe Epistola IV. *vulgaria eos tantum proferre, velle ratiocinandi regulas passim perfringere, nullo uti ordine, nullam stili aut perspicuitatis rationem habere dicit.* An Lutherus huc quoque sit referendus, jam non conficiam. Iudicium ipsius de patrum lectione satis liberum ex HIER. WELLERI Consilio de studio Theol. rite instituendo exhibet BVDDEVS, Isagoges hist. Theol. L. II. c. III. §. XI. qui & §. XIII. causam Lutheri agentem Jo. ERN GERHARDVM adducit, in dedicatione, parentis sui Jo. GERHARDI, patrologiæ præmissa: videtur hac enim in re excusatione potius dignus esse. Reformatæ ecclesiæ doctores hic quoque interdum extra limites feruntur.

tur. Jo. DALLÆO, in Libro de usu patrum, qui tot in Anglia excitavit turbas, constitutum fuisse omnem quæ Patribus debetur reverentiam excutere, deque eorum scriptis sinistre & duriori censura judicare, GVIL. CAVEVS pronunciat, in Diss. de Eusebii Cæsariensis Arianismo; sed inique. Constitutum DALLÆO tantum fuit, verum ostendere ac genuinum Patrum usum: quem ex bene dijudicatis eorum scriptis, solidis semper argumentis suffultus, satis exposuit. Sunt hæc bina extrema periculosa satis; utroque enim doctrinæ sacræ derogatur. Acriores nimirum Patrum censuras Christianæ religionis hostes in suam rem vertunt, indeque occasionem arripiunt, gravissima doctrinæ sacræ capita vocandi in dubium; quod eundo per omnes fidei articulos contra DALLÆVM & alios ostendit PETR. ZORNIVS, in vindiciis Patrum, T. I. Opusculor. Sacror. p. 659 - 774. Imo nævos Patrum ultra quam par est exaggerando, doctrinam sacram profanorum hominum ludibrio exponi, in confesso est. Attamen & illud nocet, palliare quanta possumus industria, quæ jure carpi in illis poterant: vitæ ac fidei regulam in ipsorum scriptis quarere: errores qui ipsis adhærent ceu recte ac præclare dicta assumere, & acriter defendere insuper. Varie hoc comprobant DALLÆVS, HOTTINGERVUS, alique BYDDEO in Historia Theologiæ Patristicæ hinc inde citati scriptores. Sane tum demum hoc in argumento recte versabimur, si usum quidem Patribus concedamus legitimum, colligendo ex iis, quomodo doctrina sit conservata ac propagata tot inter hostium insultus variaque Ecclesiæ fata; quomodo fundamentum fidei semper immobile steterit ac inconcussum: cum insuper præbeant usum haud inficiandum in omni parte Theologiæ; si vero quoque errores eorum in doctrina agnoscamus multiplices, & imperfectæ cognitionis-

gnitionis navorumque eos haud immunes prædicemus.

§. IV.

Quid vero impedit, quo minus in Patribus antenicænis si doctrinam de Divinitate Christi spectes, quosdam extitisse concedamus loquendi modos incommodos, cum & in omnium rerum primordiis non aliter soleat evenire, & ipsa id ostendat librorum eorundem lectio; Quin & fateantur ipsi illi patres, qui concilium Nicænum subsequenti ævo vixerunt. Sane cum tam subtilis, tamque negotiosa & lubrica trinitatis sit tractatio, & ut Augustinus ait, nec periculosus alicubi erretur, nec laboriosius aliquid queratur, difficile est non in quibusdam labi, vel opinando, vel loquendo saltem, præsertim in iis, quæ nec summam rei continent, neque doctorum vigiliis ac Disputationibus adhuc expolita & limata sunt, nec ante ortas de illis controversias Ecclesiæ judicio & synodali autoritate fixa steterunt, qualia fuerunt illa in quibus isti Patres incuriosius versati sunt. Ita apprime PETAVIVS loquitur, in opere de Dogmatibus Theologicis, Antw. 1700. VI. Tomis in fol. cum Præfatione & notulis hinc inde adpersis THEOPHILI ALETHINI (Jo. Clerici) edito. T. II. Lib. I. de Trin. Omnium vero optime liberius Patres antenicænos de Christi Divinitate locutos esse, ex ipsorummet scriptis probatur. Ea enim evolvendo, spurriaque & supposititia a genuinis discernendo, talia in ipsisprehendimus, quæ silentibus inprimis hæreticis non sine in curia ab illis prolata imperfectam eorum hujus argumenti arguunt expositionem.

§. V.

Fatebitur illud quisque vel obiter ea inspexerit. Fateantur vero & multi ex ipsis Patribus, qui post Concil. Nicæ vixerunt, & alii recentiores eruditi. Unde & de Arianis ejus-

eiusmodi Patrum testimoniis abusus, Patres jam conquesti sunt. Conf. PETAV. T. II. Præfatione, Cap. III. §. 6. HIERONYMUS, Apol. II. contra Ruffinum: *Fieri potest, inquit, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel certe, antequam in Alexandria quasi demonium meridianum, Arius, nasceretur, innocenter quædam & minus caute locuti sint.* AUGUSTINUS in Ps. LIV. p. 218. *Numquid perfecte de Trinitate disputatum est, antequam oblatrarent Ariani?* EUSEBIUS, Lib. V. Cap. 28. *magnum si non maximum Episcoporum numerum in duabus centuriis primis tradidisse, inquit, Christum quoad essentiam fuisse hominem tantum.* Inter recentiores PETAVIUS istos patrum naves fuisse proficitur Dogm. Theol. T. II. Lib. I. Cap. V. §. VII. p. 31. Paucis in loco quodam alio mentem suam ita explicat: *In auctoribus priorum ætatum minus enucleata, quam in sequentibus, mysterii illius ratio videtur.* Sed notandum quoque G. BULLI de PETAVIO iudicium: *Primorum patrum scripta eo videtur consilio legisse, ut in iis naves & errores vel inveniret vel faceret,* Defens. Concil. N. p. 72. HUETIUS, in Origenianis, quæ operibus ORIGENIS Exegeticis præmisit, Lib. II. Cap. II. Qu. II. §. 10. *inter Christianos, inquit, Doctores, qui ante Nicenam floruerunt synodum, multi de Trinitatis mysterio parum caute locuti sunt.* Insincera certe fuit Tatiani, & hoc vetustioris Iustini, de Trinitate doctrina: *In eandem venit criminationem Pseudo Clemens, venit & Theophilus Antiochenus.* Indigna vero & intoleranda profuderunt Tertull. & Lactantius, Clemens quoque, aliique complures. SCULTETUS, in Aphorismis, additis Medullæ suæ Patrum, sub initium, de fructuosa lectione patrum, ait: *Patres sæpe melius senserunt, quam locuti sunt, unde concretum pro abstracto, abstractum pro concreto, in doctrina de Filio Dei etiam ii sunt usi, qui dexterrimi doctrinæ illius cele-*

B

bran-



brantur explanatores. SPANHEMIUS, Hist. Eccl. N. T. Sec. III. Indubii sunt errores non pauci, præcipue Clem. Alex. Origenis &c. locutiones certe incommode: nominatim in cap. de Trinitate, de persona Filii: unde Ario non pauci veterum præluferunt.

§. VI.

Diligentem in colligendis ejusmodi Patrum dictis operam nonnulli præstiterunt. PETAVIUS in libris de Trinitate varia congeffit. SCULTETUS quoque in medulla patrum, Francof. 1624. 4. cuius binæ partes priores omnem Patrum antenicænorum historiam comprehendunt. HÜETIUS in Origenianis; & qui alii Patris cujusdam doctrinæ systema singillatim conscripserunt. Spectant huc vero in primis Scriptores Sociniani recentiores, quippe qui sententiæ suæ maximum in patrum scriptis fundamentum sibi videntur reperisse. v. c. CHRISTOPHORUS SANDIVS, in Nucleo Historiæ Ecclesiasticæ; GILBERTVS CLERKE, Anglus, in antenicensino, & responsione ad G. BULLI defensionem fidei Nicænæ, junctim editis, 1695. 8. & alii, de quorum vero instituto postea. Ipsa nos talia patrum dicta paucis perlustremus, ut quæ majoris momenti sunt, consideratis, ipsi possimus eo melius judicare, in quo imperfecta eorum doctrinæ de Divinitate Christi tractatio consistat.

§. VII.

De Clemente Romano non habeo quod moneam, licet nota de eo sit PHOTII Censura, Cod. 126. quod *Christum appellans ne illas quidem Deo convenientes & sublimiores de eo voces pronunciet.* Constitutiones quoque Apostolicas, quæ vulgo CLEMENTI attribuuntur, utut multa ejusmodi dicta contineant, (v. g. quod comparatur Episcopus Deo, Presbyter Christo, Diaconus Spiritui S.) nolo hic

hic commemorare, aut vel tantillum ex iis adducere: Constat enim valde de earum antiquitate dubitari: imo pro plane supposititiis haberi; & licet a multis ad ipsos Apostolos aut certe seculum secundum referantur, præferendam tamen cum **BVDDEO ITTIGII** sententiam merito videri, qui illas circa Seculum IV. innotuisse quidem, sed Seculo VI. ab homine Ariano interpolatas existimat, in selectis Capit. Hist. Eccl. Sec. I. De **IGNATIO** quoque, **S. BAR-NABA**, **S. HERMA**, & aliis nihil adjiciendum erit, nisi quod hosce Patres a variis imputationibus **LVCÆ MELLIERII** (sive **SAMVELIS CRELLII**) & **ZWICKERI**, **J. E. GRABIVS** vindicet, in annotatt. ad **G. BVLLI** Defens. fid. nic. p. 21. Ipse quoque **BVLLVS** eisdem a Calumniis auctoris Irenici & **SANDII** liberos præstat, variis in locis. Primus ergo in scenam prodeat **IUSTINVS MARTYR**, qui in Dialogo cum Tryphone vocat Christum τὸ ἀπὸ τῆ πατρὸς προεληθὲν γέννημα. Et alibi in eod. Dial. ἔστος ὁ ὠφθεὶς τοῖς πατριάρχαις λεγόμενος Θεὸς, καὶ ἄγγελος καὶ κύριος λέγεται, ἵνα καὶ ἐκ τῶν ἐπιγινώσκοντων αὐτὸν ὑπερστάντα τῶν ὅλων πατρῶν. Apologia I. υἱὸς δὲ Θεοῦ ὁ Ἰησοῦς λεγόμενος, εἰ καὶ κοινῶς μόνον ἄνθρωπος, διὰ σοφίαν ἅγιος Θεὸς υἱὸς λέγεσθαι. In eadem Apol. vocat Filium πρῶτην δύναμιν μετὰ τὸν πατέρα, & non multo post, μετὰ τὸν πρῶτον Θεὸν δύναμιν. Et alibi in eadem dicit: *Eo quod nemo cui vel minimum mentis sit, auctorem & parentem universi supercœlestia omnia reliquisset, & in pusilla terræ parte sese exhibuisse dicere sit ausurus.* Et alibi: *Non debetis vos putare, ipsum ingentum Deum vel ascendisse, vel descendisse quopiam: Nam ineffabilis ille Pater ac Dominus universitatis hujus non venit in locum aliquem. Nisi enim in hunc modum sacras intellexerimus litteras, eo res evadet, ut Pater ac Dominus universorum tum in cœlis non fuerit, cum per Moysen dictum est, & pluit Dominus*

B 2

ignem

ignem a Domino &c. Apparet hinc satis, quæ fuerit JUSTINI sententia: Descendere enim de cælo summo Deo non convenire existimat: Christum vero dicit eum fuisse Dominum, qui ignem plueri fecit a Domino: Ergo eum non esse summum Deum putavit. Et alio in loco ait: *Deus genuit ex se virtutem quandam rationalem, quæ vocatur nonnunquam filius, nonnunquam Deus.* Varia Loca JUSTINO temerario ausu exprobrat GILB. CLERKE, in antenic. p. 3. ff. aut male intellecta, aut male explicata.

§. VIII.

IRENAEVM fundamento doctrine apostolorum multas stipulas superstruxisse, SCULTETVS ait, Medull. Patr. p. 101. Filium enim scientia minorem Patre diserte statuit, lib. II. adversus hæreses, cap. 49. Verba IRENAEI sunt: *Si quis exquirat causam, propter quam in omnibus Pater Filio communicans solus scire diem & horam Domini manifestatus est, neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram quam hanc inveniat in presenti, quoniam cum solus verax Magister est Dominus, ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim Pater, ait, major me est; & secundum agnitionem igitur præpositus esse Pater annunciatus est a Domino nostro, ad hoc, ut & nos, dum hic sumus, perfectam scientiam concedamus Deo. Quod ad hunc locum respondent GALLASIUS & ESTWICKIUS, Irenæum de Christo loqui quatenus homo erat, illud merito rejicit CLERKIVS, p. 19. loquitur enim Irenæus de Christo ut filio, cui Pater omnia est communicans. Nuspiam quoque Spiritum S. Deum nuncupat, cum tamen occasio ipsi non desit. Itaque tam ad Irenæum quam ad alios Patres respexisse SCULTETO videtur NICEPHORUS, qui ob id varios patres reprehendit. Verba ejus exstant L. II. c. 30. Hist. Eccl. ubi scribit, *fuisse olim nonnullos Patres, qui etiam Spiritum S. diaconico v. nomine**

nave-



naverint: atque id vitio caruisse: Sed quod Spiritum S. a Patris & Filii consubstantiali excludere voluerint, id ipsum hæreticum fuisse, & id circo auspicio Liberii, Episcopi Romani, correctum. Irenæum ob loca nonnulla male culpatur CLERKE respons. ad BVLLI defenf. Fid. nic. p. 85.

§. IX.

TERTULLIANVS, Libro de Trinitate, Pater Jesum etiam quadam, inquit, ratione præcedit, quod necesse est quodammodo prior sit, quia est Pater. Quoniam aliquo pacto antecedit necesse est eum qui habet originem ille qui originem nescit. Hic ergo quando voluit, processit ex patre. Et in Libro adversus Hermogenem, cap. III. Nec Pater Deus potuit esse ante filium: fuit autem tempus quo illi filius non fuit, qui patrem Dominum faceret. Exceptio ESTWIKII ad h. l. nihil favet veritati, scil. de filiis adoptivis, ap. CLERKE, p. 25. sunt verba satis clara. Et alibi: Agnoscat ergo Hermogenes, id circo etiam Sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid innatum & inconditum præter solum Deum crederemus. Et in Lib. adversus Praxeam, Cap. IX. Pater ex semetipso proferendo filium fecit, & is est portio de substantia Dei; Pater tota substantia est: Filius vero derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur, Quia pater major me est. (Conf. & L. II. contra Marcion. c. 27.) cap. VI. ad verba illa, Deus creavit me initium viarum suarum, ait: Nam ut primum Deus voluit, ipsum primum protulit sermonem & cap. 7. Hæc est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum, in nomine Sophiæ, dehinc generatus ad effectum. Cap. XIX. Pater nullum initium habuit, quia non est prolatus: Ergo Tertullianus hoc loco a prolatione verbi ad eius initium concludit. Spiritum S. quoque minorem esse Christo scribit, quia a Christo accipiat. v. SCVLTTET. Medull. P. P. I. p. 300.



§. X.

THEOPHILUS ANTIOCHENUS aternitatem Verbi non obscure negat. *Deus, ait, habens suum sermonem in suis visceribus* (λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίῃς σπλάγχνοις) *genuit eum cum eum produceret cum sua sapientia, i. e. Spiritu Sancto, ante haec secula, Lib. II. ad Autolyicum. & deinde: λόγον τὸν ὄντα διὰ παντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ, ὅποτε ἡθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβλεύσαι, τῷ τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικόν, προτότερον πάσης κτίσεως. Et eod. libro: τῷ τὸν λόγον ἔχεν ὁ Θεὸς ὑπερὸν τῶν ὑπ' αὐτῷ γεγεννημένων. Et alio loco: Deus quidem universorum pater loco nec includitur, neque in loco invenitur, non est enim locus in quo ipse quiescat. (ἀχώρητος ἐστίν.) Ceterum sermo ejus, per quem omnia creavit, existens potentia & sapientia Patris, assumit personam Patris & Domini universorum; is venit in paradysum sub persona Dei, & colloquebatur cum Adamo. Ex quo loco secundum sententiam Theophili ita colligendum: Quicumque non est ἀχώρητος, ille non est summus Deus, atqui Christus non est ἀχώρητος, ergo non est summus Deus.*

§. XI.

CLEMENS ALEXANDRINUS Lib. IV. Strom. ὁ μὲν ἐν Θεὸς ἀναπόδεικτος ὢν, ἔτι ἐστὶν ἐπισημονικός, ὁ δὲ υἱὸς σοφίας τὲ ἐστίν, ἐπισημήν, ἀληθεία, καὶ ὅσα ἄλλα τῷ συγγενῇ, καὶ δὴ καὶ ἀπόδειξιν ἔχει, καὶ διέξοδον. Hic Patrem dicit in demonstrationem non cadere, sed Filium demonstrationem habere & enarrationem. PETAVIUS p. 705. hoc loco aliquid subesse erronei suspicatur. Pugnat pro eo vindicando BVLLVS, p. 90. sed parum felici successu. Lib. VI. Strom. *unum est, inquit, ingenitum scil. Deus omnipotens, unum etiam praegenitum, per quod omnia facta sunt. Unus enim est revera Deus, qui fecit principium universorum. Significat hic sine dubio primogenitum filium, Lib. VII, Strom. Filii natura est τῷ μόνῳ παν-*

το



τοκράτορι προσεχέσῃ, *propinquissima*. Nec enim valere reddere hanc vocem velle per conjunctissima, uti a BVLLO factum, p. 89. Significatum enim vocis primum propinquissimum esse quodvis Lexicon Graecum ostendit. Ceterum locum hunc objicit Clementi quoque PETAVIVS de Trin. L. I. c. IV. p. 702. conf. de eodem CLERICI Epp. crit. & Eccl. Ep. I. §. 3. ubi PHOTIVM in his verbis arianismum olfecisse ostendit. Et ibidem: *omnis Domini operatio relationem habet ad omnipotentem*, καὶ ἔστιν ὡς εἶπεν πατριὴ τῆς ἐνέργειας ὁ θεός. & non multo post: *Deus servator vocatus universorum principium*, ὅτι ἀπεικόνισται εἰκὼν θεοῦ ἀρχαίτε, primum & ante secula figuravit omnia quae post se facta sunt. CLEMENTI varios naevos falso imputat CLERKE, in respons. ad G. BVLLI def. fid. nic. p. 69. fs. multa is praeclara Clementis de Divinitate Christi testimonia, frivole mutando quae ad rem suam non faciunt, aut tanquam ab impostore in farta fingendo, consilio malo corruptit. Ceterum Clementis non satis integrum fuisse & purum de Trinitate sensum, HUETIVS profitetur, Origenian. L. II. c. II. Qu. II. n. 10. quantopere hoc miretur BVLLVS, p. 87. cum neminem putat clarius disertiusque Divinitatem Christi asseruisse, hoc suo Clemente. §. XII.

ATHENAGORAS legatione pro Christianis Filium vocat πρότον γέννημα τῷ πατρὶ, ὡς συμπάντων ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προσελθών. Quo in loco nihil vidisse mendi BVLLVM miror, qui eum excitat p. 21. Quod vero promovere suo. Alibi dicit: *omnis sermo noster Deum unum celebrat, conditorem illum universitatis, qui ingenuus ipse, (neque enim generari potest quod est, sed quod non est, ὅτι τὸ ὄν ἔγινεται, ἀλλὰ τὸ μὴ ὄν.) omnia verbo suo creavit.* Quae parenthesis ostendit, Athenagoram Deum Patrem ingenuum esse, voluisse ostendere ex eo quod semper fuisset ὄν,

ὡν, adeoque γινώσκων, nequeat: Christus vero est genitus, adeoque ex eius sententia non fuit semper ὡν, sed aliquando ὁ μὴ ὡν.
§. XIII.

ARNOBIUS, Lib. II. adv. Gentes: *Christus, inquit, Deus, Dei principis jussione loquens. Et circa finem: Potest ergo fieri, ut tum demum emiserit Christum Deus omnipotens, postquam gens hominum fractior, & infirmior coepit nostra esse natura.*

§. XIV.

NOVATIANVS, presbyter romanus, diversus a Novato haeretico, (licet post libros suos scriptos in ejus quoque haeresin inciderit) libro de Trinit. quem ipsi BVDDEVS in suppl. ad Isag. Hist. Theol. vindicat, de hoc mysterio non satis accurate est locutus, imo absurda pleraque tradidit: ita judicat PETAVIUS, de Trin. L. I. p. 30. Scribit NOVAT. in hoc libro de Trin. Cap. XVII. *Noluit Christus se aequare Deo Patri, quia omni ejus imperio ac voluntati obediens est atque subiectus. Ad quem locum responderi secundum humanam naturam nequit, quia illa distinctio omnibus fere istius ævi patribus fuit incognita. & cap. XXIV. Hoc ipsum a patre proprio consecutus, ut omnium & Deus esset, & Deus ad formam Dei Patris ex ipso genitus atque prolatus. Et cap. XXXI. Sermo, ex Deo, quando hic voluit, filius natus est.*

§. XV.

LACTANTIUS, Lib. IV. de vera sapientia, cap. 6. *sanctum, dicit, & incorruptibilem, & incomprehensibilem Spiritum genuit, quem filium nuncuparunt: Et quamvis alios postea per ipsum innumerabiles creasset, quos angelos vocamus, hunc tamen solum primogenitum Divini nominis appellatione dignatus est. Cap. 14. Christus nunquam se Deum esse dixit, quia non servasset fidem, si missus ut Deos tolleretur, & unum assereret, induceret alium praeter unum. Hoc erat non de Deo*

Deo facere praeconium, nec ejus qui miserit, sed suum proprium negotium gerere. Propterea quia tam fidelis extitit, quia nihil sibi assumpsit ut mandata mittentis impleret: & sacerdotis perpetui dignitatem, & regis summi honorem, & judicis potestatem, & Dei nomen accepit. Et cap. XXII Cum quis habet filium quem unice diligit, qui tamen sit in domo & manu patris, licet ei nomen domini potestatemque concedat, civili tamen jure & domus una & unus dominus nominatur: Sic hic mundus una Dei domus, & Filius & Pater, qui unanimiter incolunt mundum, Deus unus: quia unus est tanquam duo, & duo tanquam unus. Et cap. XXIX. Pater quasi exuberans fons est: filius tanquam defluens ex eo rivus; ille tanquam sol, hic quasi radius a sole porrectus. Caeterum LACTANTIVS Spiritus Sancti omnino negat substantiam, & errore judaico dicit eum vel ad Patrem referri vel ad Filium, & sanctificationem utriusque personae eius nomine demonstrari: Quae verba HIERONYMI sunt, Epistola 65.

§. XVI.

Frustra ad purgandum ORIGENEM afficta ei & scriptis ejus inserta quaecunque hanc haeresin sapiunt, RUFINVM existimasse HVETIVS observat Orig. L. II. c. II. Qu. II. §. V. SCVLTTETVS quoque Medull. Patr. P. I. Lib. VI. c. VI. p. 163. ob viri eruditionem & pietatem multa a scriptorum ejus depravatoribus profecta esse contendit; licet cum multis aliis de eo ita judicet: Si omnia ejus exstarent monumenta, animadversurum Lectorem in omnibus Theologiae locis contrarias in ejus scriptis sententias reperiri. Quod non mirum sit contingere ei qui propria tropice, tropica proprie accipit. JUSTINIANVS in Ep. ad Menam, & in altera ad Quintam Synodum, paganorum erroribus affinem fuisse Origenem crebro objicit. HVET. Origen. p. 87. EPIPHANIVS, haeresi 64: multis in Locis invenimus Origenem unigenitum Deum segregantem a Patris divinitate & sub-

C

stan-



stantia. ORIGENES namque etsi Filium ex substantia esse Patris arbitretur, tamen eum minorem habet, cum eum comparat radio solis, qui licet inferior, & substantiae solaris effluvium quoddam ac particula, non tamen est una numero & eadem substantia. v. H V E T I I Orig. p. 33. Quanto igitur radiis ex immenso lucis suae penu emissis nobilior est sol ipse, & dignitate superior, tanto nobiliorem asse ac superiorem filio patrem censuit. vid. H V E T I V S p. 34. Verbum ab aeterno esse cum Patre, nec esse alterius essentiae vel substantiae, sed substantiae patris proprium illud esse, dixisse ORIGENEM, non quidem H V E T I V S negat, at eo sensu dixisse, quo Nicaena dixit Synodus, id vero fateri nequit. Sunt autem praecipua quaedam inter ejus dicta, isthaec, ex quibus de caeteris judicium ferri facile potest: T. II. p. 49. commentarii in Johannem dicit: ἦν γὰρ ὁ Θεὸς καὶ Θεός, εἴτα Θεοὶ διχῶς, ὡς τῷ κρείττονος ὑπερέχει ὁ Θεὸς λόγος ὑπερεχόμενος ὑπὸ τῷ τῶν ὅλων Θεῷ. Minime hic locum habere vulgatam responsum, ratione humanae naturae, monet H V E T. p. 34. quia sermo est de rerum creatione & filii generatione. Item pag. 56. εἶπω τοιούτων καὶ ἐνθάδε, εἰ πάντα διὰ τῷ λόγῳ ἐγένετο, ἔχ' ὑπὸ τῷ λόγῳ ἐγένετο, ἀλλ' ὑπὸ τῷ κρείττονος καὶ μείζονος πατρὸς τὸν λόγον· τίς δ' ἂν ἄλλος ἕτως τυγχάνῃ ὁ πατήρ; cujus loci duplicem labem notat H V E T I V S, p. 37. Porro dicit p. 70. τρίτον ἦν τὸ λεγόμενον τῷ τὸ φῶς, φῶς ἀληθινόν, ὃ δὲ λόγος ὁ πατήρ τῆς ἀληθείας Θεὸς πλείων ἐστὶ καὶ μείζων ἀληθεία, καὶ ὁ πατήρ ὡς σοφίας, κρείττων ἐστὶ καὶ διαφέρων τῇ σοφίᾳ. Et alibi: Ζητῶ δὲ εἰ ἔξεστι δοξαζῆναι τὸν Θεὸν παρὰ τὸ δοξαζέσθαι ἐν ὑμῶν, ὡς ἀποδεδῶκαμεν μείζονος αὐτοῦ ἐν αὐτῷ δοξαζόμενον. Ita quoque T. VII. contra Celsum: ἔγω δὲ, τινὰς ὡς ἐν πίσει πιστευόντων, καὶ δεχομένων διαφωρίαν διὰ τὴν προπετείαν ὑποτίθεσθαι, τὸν σωτήρα εἶναι τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεόν· ἀλλ' ἔτι γὰρ ἡμεῖς τοιούτους, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι, ὁ πατήρ ὁ πέμψας μὲ, μείζων μὲ ἐστίν. Divinam hic naturam respici ab Origene, non humanam, H V E T I V S

TIVS probat, p. 34. ut adeoque parum ad rem faciat responso ATHANASII, putantis, Origenem respexisse ad Filium humanam suscipientem naturam. Libro I. *περὶ ἀρχῶν*, Patrem statuae comparat quae mundum impleat, & magnitudine sua quodammodo invisibilis sit, Filium statuae parvulae, quae sub oculos cadat. Innumera istiusmodi de Christo menda, quorum quam plurima alia recenset HUVETIVS in Origenianis, agnouerunt HIERONYMVS, EPIPHANIVS, AVGVSTINVS, CEDRENVS, SVIDAS, ZONARAS, NICETAS, PHOTIVS, aliique.

§. XVII.

DIONYSIVS ALEXANDRINVS, impietatis istius quae inaequalitatem Patris & Filii statuit, seminarium primum praebuit, nulla quadam improbitate mentis & sententiae, sed quod vehementius SABELLIVM oppugnare voluerit: Et cum satis fuisset ostendere, non idem esse subjecto ipso Patrem & filium, DIONYSIVS non tantum diversitatem subsistentiarum, verum & substantiae differentiam attulit. Quod de eo BASILIUS fert iudicium in Ep. ap. NICEPHORVM. L. VI. c. 25. Apud ATHANASIVM quoque, in Ep. de fide DIONYSII ALEX. T. I. p. 551. Filium *ποίημα* Patris diserte pronunciasse dicitur. Et hic quidem agmen claudat. Potuissim addere EVSEBIVM cuius utpote Arianismus multis controversiis ansam dedit. Sed cum ille hunc errorem maxime post Concil. Nic. foverit exserueritque, in censum nostrum hic non venit. Quod reliquum est, omnes generatim Patres multum de eo disputant, quod qui apparuerit in Veteri Testamento fuerit Christus, non vero Pater, quia hic esset invisibilis: & in eo quoque ipsi praerogativam prae Filio tribuunt. Imo concilium quoddam Sirmienense, iis qui Deum innascibilem s. patrem dicerent Abrahamo apparuisse, anathema dixisse HILARIUS refert. Certe magna foret copia eorum locorum, in quibus hoc argumentum tractant, si



omnia quae de eo occurrerunt, voluissim annotare, sufficiat illud brevibus observasse. Pertinet huc tamen quoque ille abusus dicti Hieropsaltis: *Eructavit cor meum verbum bonum*, quo ad demonstrandam Christi, verbi, generationem male usus singulus fere ex Patribus reperitur.

§. XVIII.

Neque tamen ob eiusmodi dicta Patres plane censendi sunt haeretice sensisse: in quo ostendendo totus fere est occupatus inverecundus ille SANDIUS, in Nucleo H. E. imperitis persuasurus, Patres antenicaenos ad unum omnes plane cum Ario sensisse. Idem ex SANDII iudicio arbitratur PETAVIUS, de Trin. L. I. c. 8. § 2. p. 38 *Arium illorum Veterum secutum esse dogma dicens, qui nondum patefacta constitutaque re ad eundem errorem offenderunt. Quamobrem quod Arium illius dogmatis architectum fuisse, Alexander, in Epistola, quæ est ap. THEODORET. H. E. I 4. queratur, oratorio more & per exaggerationem dici arbitratur, siquidem magnam a se productam putat copiam priscorum, qui idem quod Arius ante tradiderunt. Utrumque & SANDIVM & BVLLVM refutare conatus est, qui PETAVII in se suscepit defensionem, THEOPHILVS ALETHINVS, (JO. CLERICVS) in praefatione novae Dogmatum Theol. Petavianorum editioni praemissa. Non minus Petavii causam egit BALTVS, in defense des saints peres, accusez du platonisme. Existimant hi, agnovisse PETAVIUM quidem, Patres antenicaenos eo interdum modo locutos fuisse, quo Ariani de Christi divinitate, mentem tamen ipsis fuisse sanam, nec firem ipsam spectes a Nicaenis patribus diversam. Hancque ipse PETAVIUS suam esse sententiam fatetur in praef. T. II. Dogm. Theol. praemissa, ubi secundi omnes seculi scriptores dogmatis substantiam ipsam sine ulla labe ipsi dicuntur tenuisse, sed adversus Gentiles doctos pro Christiana fide disceptantes, quo eam magis persuaderent ipsis, minus accurate*

&



& subtiliter illius intima libris suis commisisse. Verum, utut PETAVIVS suam hoc loco sententiam protulerit, nimis manifesta sunt apertaue, quae l. c. pronunciat, ubi statim addit: *Et illi Patres, quorum dogma Arius secutus est, productum a Deo verbum existimarunt &c.* Atque licet deinde discrimen aliquod inter hos Patres & Arium intercedere fateatur, statim tamen addit, *reipsa illos idem quod Arium sensisse.* Certe, ut dicam quod res est, aut ipse sibi PETAVIVS non constat, aut (quod potius existimem) & sententiae de Patribus Arianae favet, & nostram profitetur, imo qui omni eam conatu propugnet vult existimari. Videtur ipsi prior sententia in animo haesisse, eamque subinde non potuisse celare, licet aliis de causis eam iterum neget, & posteriorem suam faciat. Trithemii quoque accusatos Patres a CVDWORTH, CVRCELLAEO, & aliis, BVDDVS observat, Thl. Dogm. Lib. II. cap. I. ad §. 54.

§. XIX.

Sed ultra hi quam par est progrediuntur. Ea quae fidei Nicanae prorsus consentanea in eorum scriptis reperiuntur, satis ostendunt, firmam hanc eorum mentem non fuisse, quae in ejusmodi locis occurrit. DALLAEUS, de Usu Patrum, L. I. c. V. p. 133. *De nondum natis Controversiis, inquit, potuerunt in animo habere quicquam certo consilio scribere. Quod autem non ex destinato profertur, id nunquam apertum est & definitum, sed pendens & ambiguum, ita ut ad varios fines imo saepe contra sensus & studia eorum, quibus excidit, referri possit. Hinc si ante motas has vel illas controversias aliquid quod eas concernere videri posset, apud Patres occurrit, apparet, id obiter, non rotunde, ab aliud agentibus, nec ex instituto, saepe neque vi vocum neque re ipsa satis expensa, dictum. Variarum causarum exstant, quae eos ad ejusmodi locutiones adegisse videntur. Omnibus Patribus aliquid contagii consuetudinem saeculi sui adpersisse, SCULTETUS observat in Aphor. de fruct. Lect.*



Patrum. Interdum data opera studuerunt, animi sui sensa penitus occultare, saltem nuda & aperta objecto quasi velo ostendere. Interdum contra adversarios disputantes nihil non adhibent quod ad argumentum suum faciat, utut alias infirmum & a sua sententia alienum; pariter quicquid susceptæ causæ repugnat, repudiant subinde ac refutant, licet alias verum & admittendum. Verba sua non ad id quod mente tenent, sed ad id quod necessitas postulat, inflectere solere patres, HIERONYMUS disertè testatur in Epistola ad Pammachium, apud DALLAEVM, de usu Patrum, p. 160. Multum quoque huc contulit æstus in disputando ac fervor, quem & ipsi, & alii Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores hujus rei fuisse causam sæpissime fatentur. Verbo, non fuisse Patrum sententiam Arianam, probant verba hæc GELASII: *Arius circa fidem in Christum peregrina & inaudita protulit, & quæ prioribus temporibus nemo quæsierat unquam aut introduxerat,* quæ exstant in ejus Volumine actorum Concilii Nicæni, apud HARDUIN. Collect. Concil. T. I. p. 346. ff. Philosophia Platonica ad hæc Patrum locutiones non parum contulit. Patres enim quantumvis alias eclectici, præsertim tamen Platonis placitis delectati sunt. Præterquam enim quod hæc Philosophia eo tempore caput erigebat, credebant Christiani, Platonem suæ relig. consentanea docere. Quæ cum ipsi ex sola ratione innotescere non possent, ab Ebræis eundem sua accepisse, aut omnino Mosis legisse libros existimarunt. JUSTINVS Platonis doctrinas a Christo non esse alienas, dicit Apol. 8. In primis vero hic in censum venit illa tantopere depraedicata trinitas Platonica, secundum quam ipsam trinitatem ex lumine naturæ cognovisse Plato perhibetur. Hic certe, & reliqui Gentilium Philosophi per exigua de Trinitate habuerunt nota, & mysterium hoc utcunque tantum adumbrare videntur. Ita Platonicae Philosophiæ decreta larvam quandam Trinitatis effingere Huetius dicit Origen. L. II. c. II. Qu. 2. §. XII.



p. 37 CLAUDIUM vero MAMERTUM, qui Platonem tres in Divinitate personas laudabili ausu, mirabili ingenio quaesisse & invenisse miratur, errare ostendit & de his ne somniasse Platonem quidem, PETAVIVS, Lib. II. de Trin. cap. I. & II. confer hac de re CLERICVM quoque, Epp. Crit. & Eccl. Ep. VII. Diffiteri tamen non possumus, Patres ex nimio studio Philosophos insignes ad se trahendi (ita judicat id. CLERICVS s. l. c.) Platonis sententia in suis scriptis usos. Cum vero secundum alios non ultra haec doctrina se extenderit, quam ad obscuram quandam de τῷ λόγῳ disputationem, eam Patres λόγῳ qui in Scripturis memoratur, junxerunt, & erroneos sibi de eo conceptus contraxerunt. PETAVIVS hoc comprobatur Athanasii exemplo: *Hic, ait, defensor mysterii illius adversus Arianos acerrimus, cum Verbi divinitatem persuadere Gentilibus studet, his ad probandum utitur argumentis, quae illorum ex usu atque sensu, & anticipata quam de Verbo habebant ex Platone aliisque Philosophis notione verbi petuntur.* BAIERUS, in Theologia historica ita habet, p. 105. *Patres in explicanda Filii Dei generatione, & personarum divinarum distinctione, confidentius quam par erat ratiocinati sunt, & curiositati suae plusculum indulserunt, praesertim si qui Platonicae Philosophiae, quae tum temporis praecipue floruit, aliquamdiu incubuerant.* Confirmat idem hoc, exemplo ORIGENIS, HIERONYMUS, Ep. ad Avitum, T. III. opp. ORIGENES, inquit, *dogmata Platonica sincerae Theologiae admiscuit.* Conf. HUETII Origeniana. L. II c. I. §. 1. & c. H. Qu. I §. IV. & Qu. II. §. XII.

§. XX.

Atque ita patres incommode atque incaute locutos constat. Sane illud non diffiteor, esse quoque in eorum scriptis loca his omnino contraria, esse ab illis praeclare dicta quaedam de Divinitate Christi. Verum & in iis dijudicandis cura opus est, ne plus illis, quam par est adscribendo, veritati derogemus. Quid enim lucrati erimus, si multa probavi-

bavi-



bavimus opera, Patres antenicænos filii τὴν προῦπαρξιν & ante Mariam, & conditum mundum credidisse? Illud vero sponte cadit, quod BVLLVS p. 14. ex probata τῇ προῦπαρξιν τὸν ὁμοῦσιον quoque ab illis creditum esse apparere putet. Credere enim potuerunt Christum ante mundum existisse, eum in apparitionibus dici Jehovah, nihil tamen impedit quo minus eum existimaverint Deo Patri gloria & potentia inparem, præsertim si nomina Dei esse appellativa tantum dixerint, nullum essentiale. Quin nec ea semper neganda sunt, quale v. c. est, quod LVCAS MELLIERVS, in fide primorum Christianorum demonstrata, monuit, videri ea quæ ex BARNABA ad demonstrandam Filii τὴν προῦπαρξιν adduxerat BVLLVS, mystico sensu ab eo prolata respectu novæ creaturæ. vid. J. E. GRABII annotata ad BVLLI def. F. N. p. 21. seq. & quæ quam plura alia in istiusmodi Patrum dictis sæpissime excipi possunt. Si vero vel maxime de eo est dicendum, an Patres antenicæni Filium Patri ὁμοῦσιον existimaverint, perperam a quibusdam negatur vocab. ὁμοῦσιον ante Sec. IV. in usu fuisse. Variis id testimoniis G. BVLLVS confirmat, p. 28. Qui enim & inter Patres, Augustinus, Fulgentius & Vigilius, novum nomen a Nicænis doctoribus conditum adversus hæresium impietatem dixerunt, illos humani quid ex rerum gestarum imperitia passos esse BVDDVS monstrat Instit. Thl. Dogm. Lib. I. Cap. I. §. 51. Verum parum efficit, etiam si singulos Ecclesiæ Doctores antiquos ea esse voce usos constaret. Quis enim ignorat, eam hujus vocis omni tempore ambiguitatem fuisse, ut & seculo iam secundo in sensum sibi convenientem tractum fuerit a Marcionitis & Valentinianis? Quis Manichæos ignorat dixisse Christum Patri ὁμοῦσιον non totum quidem, sed ut μέρος τῷ ὁμοῦσιον? Quis Sabellianos Manichæis se opposcentes, Christum affirmasse Patri ὁμοῦσιον, non κατὰ μέρος ut illi, sed ita, ut unam & essentiam & per-

personam cum Patre constituat, sensu plane contrario? Possunt adeoque & Patres hac voce esse usi, sed sensum ipsis fuisse sanum quis probabit? Conf. ZORNII, opusc. S. p. 88. CLERICUS, Epist. Crit. & Eccl. Epist. II. Videamus de loco qui assertur primario DIONYSII ALEXANDRINI, adducto a BUDDO, l. c. §. 51. ubi hic diserte Christum esse *ὁμοῦσιον τῷ Θεῷ* affirmat in Epistola ad Dionysium Romanum. Notandum vero hic, Dionysium Alexandrinum in *διαίρεσιν πονηρῶν* trinitatis suspensionem incidisse; atque ab ea ut se liberaret affirmasse illud *ὁμοῦσιον*. GREGOR. NAZIANZ. Orat. 37. Quis non videt sensu fere Sabelliano acceptam hic ab eo vocem esse? Quid enim ad avellendam a se *διαίρεσιν* illius suspensionem juvabat dicere Christum esse Patri coessentiali, i. e. uti alias explicabant illi Patres, ex ejus essentia genitum, aut soli Patri propinquissimum, *ἐκ τῆς οὐσίας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας*, sed *ἐκ τῆς οὐσίας*. Cæterum quocunque sensu vocem *ὁμοῦσιος* acceperint, intellexerunt eam specificè, nunquam, quod ingenue fatendum, numerice. Conf. de Vtuplici vocis *ὁμοῦσιος* signif. apud Christianos quoque veteres obtinente CLERICUM, Ep. II. p. 35. Et specificè Christus Patri *ὁμοῦσιος* creditus per VI. Nicænum sequentia secula, numerice a PETRO LOMBARDO primum affirmatus observatur. Verum perplura alia monenta sunt, in quibus terminos transgredi solemus, multa Patribus attribuendo. Hoc vero non negamus multa debere ipsis optime dicta concedi, quæ autem si cum iis comparentur, quæ incongrue ab ipsis sunt prolata: satis apparet, fuisse eorum de Divinitate Christi & tota trinitate cognitionem, vel certe explicationem, valde imperfectam, atque mancā.

§. XXI.

Certe post hæc tempora occasione hæreseos Arianae hoc doctrinae sacrae argumentum clarius fuit pertractatum. Indicavimus supra iam hoc fatentem Augustinum: *Numquid perfecte de Trinitate disputatum est, antequam oblatrarent Ariani?* Multorum hic observatur vocabulorum usus introductus, quæ antea in usu (certa in hoc argumento pertractando) non fuerunt. Fatetur hoc SCULTEtus, Medull. Patr. P. I. l. I. c. XI. ubi librum qui JUSTINO tribuitur, *Questionum CXLVI. solutio ad orthodoxos*, ideo ex numero scriptorum ejus eximit, quia vocabula *ὑποστάσεως, προσώπων, τριῶν, μονῶν* in eo habentur, ad quæ usurpanda longe post ecclesia est adacta. Vocis *ὁμοῦσιος* frequens usus introductus, constanti sensu acceptæ. Plura hic videri in ipsis Conciliis actis possunt. Nos paucula tantum adducemus. Sancti Episcopi per OSUM Episcopum dixerunt: *Filius cum Patre semper existit, non temporibus posterior, non potestate minor, non loco circumscriptus, sed semper itidem perpetuo cum patre subsistens, verus Deus sem-*

D

sem-



semper existens ex vero Deo & Patre semper existente, dominans cum Patre, coeternus Patri, regnans semper cum Patre, consubstantialis patri, æque potens ac Pater, creator cum Patre, siquidem una est divinitas, sententia una Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et in aliarum sponfione ad obiectiones Philosophi in concilio facta: Filius alteri non est subiectus, sed sui ipsius habet dominium ut Pater.

§. XXII.

Patres quoque post illud concilium accuratius locuti observantur. ATHANASIUS: *Filius Dei dupliciter consideratur, quoad essentiam Divinam, & tanquam persona missa ad officium mediatorium* Disp. adv. Arium, T. I. p. III. GREGORIUS NAZIANZENUS, *alia est natura, alia dispensationis ratio, Orat. ad Arian. T. I. Opp. p. 431. ubi annuit, multa de divina natura dici, quæ per naturam suam cum ea pugnant, sed ea esse intelligenda ratione unionis & communionis cum humana natura. De utraque natura illud asserit BASILIUS, Lib. IV. contra Eunomium: Quæ hæc' εὐνομίου de Christo dicuntur, non oportet ut ἀπλῶς dicta assumere.*

§. XXIII.

Neque tamen ob ejusmodi emendationes Patres Nicæni dicendi sunt novæ fidei conditores, novamve fidem orbi Christiano obtrusisse, uti audacter eos fecisse pronunciat auctor Irenici Irenicorum ap. BULL. proœm. §. 6. Se quidem fatentur a majoribus suis velle dissentire, quod in Actis Concilii sæpissime legitur, sed fides tamen illa valde omnino est antiqua & ipsis sacris fundata literis: verum imperfecte in seculis primis ex iisdem cognita. Nicæa synodus istam tantum melius exposuit, & a strophis adversariorum variis liberam præstitit. Quod præclare GEORGIUS BULLUS ostendit in defensione fidei Nicænæ, congerendo quæcunque ex primis patribus pro illa fide militant.

§. XXIV.

Nec quoque Patres Nicæni aut per imperitiam aut malitiam veram doctrinam corruerunt. Impia hæc est quorundam vesania, ex inscitia orta, qui illud non veriti sunt palam debachari. Infamis olim hoc nomine fuit SABINUS, Macedonianæ factionis afflecla, cujus de Synodo Nicæna temerarium judicium refert SOCRATES, H. E. L. I. c. 8. Fidem ille Nicææ expositam tanquam ab ignavis & imperitis hominibus conscriptam reprehendit, cuncta ad institutum suum sensumque pertrahens, pervertens alia, alia immutans. EPISCOPUS (citante Bullo, proœm. p. 3.) eadem sentit cum Sabino: *Symbola* inquit. *Instit.*

Instit. Theol. L. IV. c. 34. *in conciliis œcumenicis cusa ab Episcopis inter se magna emulatione iurgantibus, ex fervore si non furore partiumque studio insano ac maleferiato, præcipitata potius videri debent, quam a compositis animis profecta.* Et non multo post Nicænam synodum hoc nomine inprimis perstringit. Verum idem ille SOCRATES, illos qui Synodo interfuerunt, alios sermone sapientiæ, alios vitæ constantia & fortitudine excelluisse, confirmat, & Sabinum reprehendit, quod non cogitarit, ὥς εἰ καὶ ἰδιώται ἦσαν οἱ τῆς συνόδου, κατελάμποντο δὲ ὑπὸ τῆς Θεᾶς, καὶ τῆς χάριτος τῆς ἁγίας πνεύματος, ἔδαμῶς ἀσχοιήσαι τῆς ἀληθείας ἐδύναντο. Cuncta vero in ea esse competenti discussa examine, cuncta quæ ἀμφιβολίας ἢ διχονοίας πρόφασιν videbantur excitare, esse ἐλεγχόμενα, καὶ ἀκριβῶς ἐξετασμένα, ipse Imperator CONSTANTINUS testatur in Ep. ad Alexandrin. Eccl. ap. SOCRATEM, Hist. Eccl. L. I. c. 9. Sabellianismus, & quasi pugnantia serum consistere possent, Tritheismus, a quibusc. veteribus & recentioribus Arianis, doctrinæ Nicænae exprobrati, per se abeunt in nihilum.

§. XXV.

Verum nec ita in concilio Nicaeno doctrina emendata est, ut nihil jam amplius potuisset vel exponi clarius, vel addi quoque. Ut de Spiritu S. ob motam nondum de eo singularem controversiam, in Symb. Nic. nihil curatius tractatum esse, taceam, varios accessus vindicias doctrinae de Divinitate & SSa Trinitate passas esse quis ignorat. Patres Concilii CPtani disertius profitentur, ἑσὶαν μίαν εἶναι τὴν πατρὸς, καὶ τὴν υἱοῦ, καὶ τὴν ἁγίαν πνεύματος, ἐν τρισὶ τελεαῖς ὑποστάσει, in Epistola Synodica, apud THEODRETVM, H. E. L. V. c. VIII. In Synodo Alexandrina A. 462. decretum fuit, ut ab usu vocum ἑσὶα & ὑπόστασις, quantum fieri posset, abstinerent, quippe de quibus in Synodo Nicæna definitum nihil esset, nisi forte ad Sabellianismum refellendum tres adferere ὑποστάσεις necesse esset. SOCRATES, H. E. L. III. c. VII. Ipsi quoque concilii Nic. patres non satis accurate discrimen inter ἑσὶαν & ὑπόστασιν observarunt, qua in re consentit HÆTIUS, Origenianis, p. 52. cum ATHANASIUS in suis liberis, post Concil. Nic. scriptis, vocem ὑποστάσεως semper adhibeat sensu ἑσὶας. Haec vero utut se habeant, manet concilio & doctrinae Nicænae stabilitas sua auctoritas, nullo adversariorum insultu unquam labefactanda. Atque haec dixisse sufficiat, satis ut exillimo declaratura, haeresin Arianam doctrinae de Divinitate Christi elaboratius proponendæ occasionem prae-
buisse.

Sed & hoc ipso voluptatem, Tibi, VIR CLARISSIME, declarare animus est, quæ ex præmio quo hodie ornaris virtutis & do-



doctrinæ laetis nobis orta est. Fructus quos societas nostra ex Te egregios percepit, cum de Christo idoneo divinitatis suæ teste, de igne & sale spirituali, ad Marc. 9, 49.. aliisque differeres momentis, haud raro celebravimus, pluresque speramus ac maximos. Ino ex quo felicibus nobis esse contigit, Tua uti consuetudine, in artibus ad quas incumbis solertem Te versari ac ingenue, habuimus compertissimum. Ascendis jam ad honorem; Quod cum Tibi ex sententia cesserit, laetitia perfrui-
mur. Et qui quaeso a nobis impetrare possemus, ut taciti gauderemus nobiscum? Publice testari nos oportet, gaudio maximo nobis esse honorem qui Tibi hodie defertur. Fieri hoc a nobis vides publice in lucem emissio scripto, quod vel ea de causa Tibi sacrum esse volumus, cum singulari amore erga Historiae Ecclesiasticae studium, perquam jucundum aequè ac utile, ardeas semper, idque nuperrime & cum meum hoc meletema disputarem, & cum de Aëri hæresibus doctissime Te exponentem audiremus, prolixè fueris testatus. Prosperis rebus agis, & secundo flatu fortunæ uteris. Sinas adeo, nos gaudio indulgere, & explicare frontem, quam sollicitam alias & apud literarum studia adducam habemus. Musis litare ubi constitueras, auspiciatissimum earum fecisti exordium, spemque implevisti omnem, quam de Te omnes conceperant. Jam cum gravioribus Te curis in Academia dedisti, non minus progredieris, & omnium celebrationem & mereris & Tibi peperisti. Vel sola utilitas quam ex Te respublica literaria olim capiet, sat Tibi pararet laudum; Sed accedit publice Tibi hodie præstitus honor, qui virtuti Tuæ & remunerationi est, & ulteriori alimento. Cæpta hæc Deus secundet, atque ex animi sententia procedere faxit, quod aggressus es.

De tanto ut lætetur Filio PARENS Tuus MAGNIFICUS habet, ampliusque habebit, cum quæ magna polliceris optimis ominibus impleveris. Te PATRIÆ virtutis & doctrinæ æmulum videt, atque amplissimis fortunæ muneribus ornatum aliquando videbit. Servet eum Deus fartum tectumque plurimos in annos, incolumemque præstet, quo habeat Ecclesia Oldenburgensis quem Patrem diu veneretur, & ex quo uberrimam per longum temporis decursum utilitatem capiat: ut hæc nus summam.

Tibi vero, VIR CLARISSIME, feliciter cadat quod instituisti, sintque bene fortunata quæcunque agis. Vale.

